

# MANIFESTATIO

## INNOCENTIÆ

*Illustrissimi & Excellentissimi*

*DOMINI, DOMINI,*

# HIERONYMI

## in Radzieiovvice

Radzieiowski ProCancellarii

Regni Poloniæ.

Lomzensis, Bielsensis<sup>!</sup>, Solecensis,

Varecensis, Kozienicensis, Kamio-

nacensis, &c. &c. Capitanei.

*Hæredis in Krylovv.*

Referenda haec sunt  
duo scripta, quae repen-  
tuntur in Collect. Polo-  
no. Specie T. III.  
n. 30 et 30½.

6. xxvii. 53



Aud sine ingenti sortis malignæ admiratione, prona ad suspicione mortaliū ingenia, exilium meum prosequuntur. Plerisque enim, præcipue verò exteris Nationibus, talem mihi pœnam pro insigni crimine ortam esse interpretantibus, aut Proditor Patriæ fuisse videor, aut inauditum crimen patravisse. Quippè tantam honoris, & bonorum jacturam, pro fœdis & exitiabilibus in Patriam flagitiis decernimoris est: At ego conspiratione inimicorum, & invidiâ falsi crimini oppressus, quatenus veritati, & innocentiae meæ nullus apud Tyrannum Iudicem locus est, totius mundi, ipsorum denique æmulorum & detractorum judicium, hac Manifestatione appello. Decernant, utrum digna profacto meo pœna reperta est. Qua occasione, cuius instinctu, & patrocinio: aut quo fine dissidia, ac demum divortium inter me, & consortem excitatum sit, minime opus est ad præsens recensere: toti namque Regno Poloniæ patet id, & talia silentio tegere, taciturnitate que celare, & quod in Polonia extiterint, dolere satius est: quam exterarum Nationum cognitioni tradere, regiminis inde turpitudine subsequente; aut cui fructui, atrox illius exempli memoria excitanda? Sufficit talem effectum evenisse. Thesaurarius Curiæ Magni Ducatus Lithuaniae, Frater tunc Consortis meæ, illa-

tis multis violentiis, variisque tam mihi, quam Famulis meis expilatis rebus, pro quibus non fuit judicatus, curiam denique nostram cum Con sorte communem, ubi mei Equi, & Famuli erant, armis aggressus est, & sepibus prorutis, effractis portis occupavit: tum Famuli, quibus ibidem accepti sunt equi, cupidine res suas recipiendi inducti, Curiam quoque sine ulla violentia rccipere voluerunt, & cum me inscio ad Curiam accessissent, praefidio ibi pedestris turmæ, tum & vigiliis visis, explosisque contra se aliquot sclopetis, sine violentiæ illatione, & sine ullius hominis cæde reversi. Hoc totum Civitas eadem Varsaviensis testabitur. Quia vero infensus interim Princeps, & me, quasi nimio libertatis Zelo, Nobilium seditionem in Generali expeditione contra illum machinarer, & quasi exorbitantias contra illum scripserim, suspicetans; occasionem ad opprimendum me idoneam quæsivit. Quamvis hæc omnia falsa, & æmulorum potius incitamenta fuere: non longa tamen cunctatio interponitur; sed omnibus ad subvertendum Civem usus artibus, ex hac occasione; absentem, & ullius criminis ignarum gravissimo decreto condemnare imperavit. Quale contra me Statui nequibat.

Ea namque est Status Equestris prerogativa, ut jus vitæ & necis super nobilem personam; tanto magis super præcipuum Officiale Regni decernendæ, non  
alii

alii Iudicio, nisi Tribunalio aut Generalium Regni Comitiorum, subjiciatur. Non opus est pluribus confirmandæ ejus rei causa argumentis, sufficiunt ipsæ Constitutiones, & statuta Regni. Novas igitur, & nullis unquam auditas temporibus, rabies Instigatoris ad me opprimendum conquisivit artes. Omissa enim eo, quod Senatus consulta nequeant quidquam in vim legis statuere, neque de capite eminentis in Republica Civis decernere: quod pœnæ supra meritum sint extensæ: non reperitur in toto legum volumine ejusmodi Lex, quæ potestati Marschalcali, Primarium Regni Officialem subjiciat judicandum; quia Marschalcalis jurisdictione in Curienses tantum, & minores eorum excessus extenditur, capitis vero judicium non potest usurpare.

Aut contemnendum illud est, quod Præcipuus & Principalis Regni Officialis, tanquam nocens, & novissima exempla meritus, injustissimo decreto sit condemnatus?

Quod sine delatore, ad Instantiam Instigatoris anonymi in contumaciam judicatus?

Præter hæc Instigator non juratus, persona plebeia, criminosa, qui optimi cujusque criminazione eo usque valet; ut impudentiâ & nocendi vi malis etiam præemineat.

Scrutinia juramētis non confirmata, ut moris est, Ple-  
nipotentesque, qui sunt in decreto scripti, nullā defen-  
dendæ causæ licētiā à me habita, temerē se ingesserunt  
(& prout unus illorum in facie Iudicij Tribunalitii in-  
genuè fassus est; quod coactiva potestate ad id, ut respō-  
deret, sit adductus) jamq; sunt ideo legitime convicti.  
Vnde Decretum illud contumaciam censi debet.

Ingens sanè prænominati Decreti defectus: quod  
Instigator iusflus cùm sex testibus genere Nobilibus  
me convincere, hominibus ex fece plebis ad juramen-  
tum accitis Decreto satisfecerit. O Capitis Nobilis  
vilem æstimationem!

Iniquitas autem, & discrepantia Decreti manibus  
ipsiis palpabilis est; quod ex una eademque proposi-  
tione, altera Pars civiliter, altera, ego videlicet crimi-  
naliter sim convictus.

Ex unâ eademque Propositione, illi parti Princi-  
palitas, id est origo facinoris adscribitur. Ea namque  
verba in Thesaurarium & meam consortem scripta  
reperimus: *P R I M I P R O M P T S E R U N T*  
*S U A M M A L I T I A M*. ProCancellarius autem  
*M A L I T I A E R E C E N S I T A E A E M U*  
*L U S* reputatur. Vnde licet præasserti criminis  
Comprincipalitas tantum, hoc est excitatæ per The-  
saurarium & Consortem meam flammæ æmulatio in  
me redundet: tamen graviori pœnâ, contra omne  
fas

fas & naturam juris Comprincipalis, quam Principales, punitus.

Nunquid illud memorem? Quod, nisi illis qui interfueré, nemini credibile est. Idem Decretum aliquoties reformatum, & longo temporis spatio ad requisitionem meam non fuisse extraditum, eā tantūm intentione, ut remedia juris sine publico instrumento non possem adhibere; & ut prius Proceres illi, qui jus concedendi Treugarum literas habent, eodem scelere obstringerentur: Iudiciumque Tribunalium variis modis, formali insuper legatione per Senatorrem consultò destinatum iustitutâ præoccuparetur. Prostrato caput attollendi licentiam deesse, quis non summae oppressioni adscribet?

In Galliis (quod est Dominium absolutum) Personis rebellibus, in Regem contumeliosis, & palam armatis Civibus Parliamentum ad resipiscendum, & reconciliandum Principi Treugas concedit, uti non ita pridem Principi Condæo factum est: Apud nos, in libero Imperio, amputatis omnibus legum beneficiis Treugæ ipsæ in dubium vocantur. Supplicium ferè præcedit judicium. Nam supremæ etiam Instantiæ subsellia, judicata sua pro exequutione remittere confluverunt, & ista quoque executio adeò præceps non solet esse. propè est ut libenter damnet, qui cito, propè est, ut injustè qui libenter. Tantum igitur, tam in-

incredibilem intercessisse rigorem in hac meâ Causâ  
neminem latet; cùm fortunis omnibus dirutus, ca-  
pite proscriptus, eam in liberâ Patriâ patior oppressio-  
nem, cuius exemplum à seculo non extat.

Nam si culpa, quam pœna tempore prior esse solet;  
puniri quoque quâm peccare posterius esse debeat:  
verum longè alium cum subditis procedendi modum  
complexus Princeps, Decreta etiam exequutione ni-  
titur prævenire.

Verum omnino experior; innocentiae plus pe-  
riculi quâm honoris inesse, quod sine ullo rigoris præ-  
nominati prætextu, me inimici mei Principe adnitent-  
te perverterint. Quippè cùm ab atroce odii authore  
Sluszka initium Majestatis offendendæ factum sit,  
qui Curiam meam, locum residentiæ meæ manu ar-  
mata invasit, illata sex horarum oppugnatione, licet  
tribus tantum vicibus quod ridiculum & contradicto-  
rium est, bombardas ejaculatus sit prout ex contentis  
Decreti utrumque elicitur. Omnes meas, Famulo-  
rumque meorum res familiares diripuit: Pariterque  
servi à me ea posse accidere sperante, pro præsidio Cu-  
riæ relieti, defensivè agere omnia, pugnare, ab acces-  
su adversarios arcere, vim illatam vi reprimere ausi  
sunt; id enim ratio doctis, mos barbaris, natura  
brutis persuadet faciendum.

At

At quæ sunt hæ rationes, quæ tam atrocis Judicij  
occasione præbuere? Patiamur Domum, omnem-  
que Domo contentam suppellectilem exspoliari, tu-  
multum fieri, postremo armis, cæde, & tormentis o-  
mnia compleri; quæ ex spatiis imaginariis unde eo  
tempore extiterint, incertum est. Sed per Deum im-  
mortalem, quò tanta, & tam præceps crudelitas per-  
tinuit? an uti securitati Regiæ in posterūm prospice-  
retur? scilicet, quem impatiens injuriæ animus, ad  
reprimendas inimicorum artes hortabitur, eum puni-  
endi immanitas à defensione deterrebit? Non ita est.  
sed cùm posset in talia crimina civilibus pœnis anim-  
aderti, operæ pretium erat, factâ à criminalibus &  
bonorum confiſcatione abstinentiâ, civiliorem crimi-  
nis abolitionem adinvenire.

Hinc mihi quisquam objicit, legem per expressū  
esse: Crimen læſæ Majestatis in solam Regis Perso-  
nam committi, neque in alium quenquam magis,  
quām in Regem, immanitatem offenditionis redunda-  
re? Verū egerint, quæ voluerint legi latores præ-  
sentes, finixerint quæ libuerint. Crimen læſæ Maje-  
statis cognoscere, neque Marschalcalis Curiensis Iu-  
dicij; neque Senatus consulti est. quippe Senatus con-  
sulti etiam authoritas non patitur à se residentes ex-  
cludi, quorum multi illo tempore erant exclusi.

Vnicum cedò exemplum , Officiales Regni à Iudicio Marschalcali non jurato ( quod multarum in Comitiis dissensionum , crebrarumque querellarum ansam fecit ) judicatos aliquandò fuisse . Gravem profecto oppressionem quis satis mirari queat ! oppressus autem intolerabili præjudicato convellitur , denegata etiam respirandi facultate .

Atque hæc cùm ita sint , tamen Iudicij Marschalcalis authoritatem ( cui nihil in suo esse derogatur ) supra quam æquum est , extendere nituntur : quasi verò statutum Regni , majore illum quam solo Marschalci titulo condecoravit ; & si in foralibus ipsis quapiam in re modum excederet , debere eum rationem Reipublicæ reddere non sit præscriptum . Si igitur ille , cuius officii authoritas ex libitu Reipublicæ pendet , tam impunè Senatorum capitibus luderet ; deteriorem status conditionem , quam in Hispania Equites aurei Velleris ( qui nequaquam Senatoribus Regni Poloniæ præminent ) pateremur . Cum causam illorum nulli Magistratui , nemini Gubernatori , neque Vice-regi ipsi , præter Regem discernere licitum sit . Est quoque nobis ejusmodi Officialium Regni dignitas , quod vitæ eorum , necisque potestas soli Comitiorum Generalium judicio attribuatur : non Marschalcali Curiæ , qui est inferior officialis , & tertius post me in Regno .

Neque

Neque etiam supremus Regni Marschalcus, Lubomirscius tale tulisset decretum. Non tantum ex hâc ratione, quòd polleat majori ingenuitate, quam Marschalcus Curiæ: & quod non sit tam egenus, ut nutui Principis contra omne jus, fas, & æquum parere deberet: verum paternam alit generositatem, qui cum dignitate Palatini Cracoviensis fungeretur, acer-  
rimus fuit libertatis vindex, & propugnator, cuius multa edidit tota vita sua specimina: pari ratione ma-  
gnus hic Patriæ Civis, veram retinet, & possidet gene-  
rosissimi Spiritus hæreditatem.

Magna mihi memorandi copia est, qui Reges ira in subditos impulsi, indomita seditionum civilium in-  
cendia excitavere: Sed ea malo dicere, quæ non ita pridem defuncti Reges, remota in offendentes suam Majestatem vindicta rectè atque ordine fecere. No-  
stra memoria *VLADISLAVUS IV.* dignus me-  
moria Rex, Petro Laszcio Excubiarum Regni Præ-  
fecto, qui tot Decretis legitimè convictus, singularis  
legum contemptor, veste ex Decretis Infamiae supra  
se obtentis consulta utebatur, nihil meritorum adime-  
re dignatus, magisque justum esse dignatus, quam  
sceleri prospicere ratus est. Noverant subditi apud  
equanimem Principem non armatam levetatem sed  
clementiam in procinctu stare humanis erroribus pa-  
ratam.

Item paulo ante, imperante SIGISMUNDO III. in ipsis Aulæ Regiæ visceribus, frameis in mutuam necem evaginatis, Rudomina cum Drohiczynski, Vmieniecki cum Czarnuchowski, Godebski cum Piotrowski non sine sanguine dimicabant: Verum Rex, magis quod se dignum foret, quam quod in illos jure statui posset, querebat. Accidit & in Anno Millesimo sexcentesimo Vigesimo quarto, tempore Generalium Regni Comitiorum, quod Narzymyscy Aulam Referendarii Regni Przerembski, accitis tot armis invaderent, fores aulæ radicitus evellerent, cædem aliquod hominum inferrent: Pariter superiore tempore Princeps Radzivilius, dum Comitia celebrarentur, Domini Krasicki Palatini Podoliensis aulam aggressus est armis, plurimis ab utraque parte cæsis: & tamen quia per occasionem talia facta sunt; tumultus authoritate Principis sedati, non immanitatem coerciti fuere, neque lex carnifex exorta inde, sed reconciliatis utriusque animis impunitas concessa, sine ulla Majestatis diminutione. Quid memorem Melsztynski, qui praesente Rege in Oppido Korczyn, invasit & spoliavit domos Senatorum. Zborowski, qui in conspectu Regis Wapowsicum interfecit. Quorum excessus non Marschale judicium, sed Generalia Regni comitia discernebant.

Evidem ego sic existimo, si uniuscujusque jure victi

victi bona confiscarentur ; si quilibet poenas meritus,  
ad necem nullo respectu habitu traheretur; profecto  
completus funeribus Orbis soli luctui attenderet, &  
uno anno omnium vacantiarum revolutio absolvrete-  
tur. Postremo quem quisque alicujus Capitaneatum,  
aut villam, aut domum appeteret, data opera, ut is in  
proscriptorum numero esset, facilè pari exemplo li-  
bidini suæ satisfaceret.

Magisnè Chmielnicum tam Barbarum, tantique  
in Regnum doli machinatorem decuit impunitas? qui  
hostis Patriæ judicatus, divina omnia & humana cal-  
cavit: quam Nobilem Polonum, & officialem Prin-  
cipalem Regni, cuius neque justificationi, neque sa-  
tisfactioni, neque ad extremum supplicationi apud  
Principem locus datur. Quæ ergo inde apud Nobiles  
considerationes orientur: Filii Regni deteriores sunt  
canibus feris.

Omnium horum initium à magistris diffidentia-  
rum pendet, qui nullam extremi rationem habendo,  
præsentibus frui pro solatio habent, de futuro securi:  
Principi, & Reipublicæ ultimum afferant interitum.

Postquam igitur me, tali & tam injusto decreto ini-  
mici sunt adorti, beneficia juris a Republica per ve-  
tera Statuta concessa, hoc est Treugarum literas pe-  
tendas esse censui: moxque ad Episcopum Cracovien-  
sem, ad Palatinum Cracoviensem, ad Palatinum Sen-

domiriensem, ut à quocunque illorum, eas celerius  
obtinerem, expedivi: Sed illi à Principe Legationibus  
erant præoccupati, & duo petenti mihi, Treugas fri-  
volis rationibus denegarunt: Vno, litaturum se potius  
offensum Regiæ Majestatis animum, quam subscri-  
pturum, ne confidentiam amitteret, promittente; al-  
tero, Palatino Sendomiriensi videlicet, chyragræ mor-  
bum, qui manum propriam subscribere non permitte-  
bat, incusante. Solus Illustrissimus & Excellentiss. Dux  
Ostrogii, Palatinus Cracoviensis, virtutis & relictæ à  
majoribus libertatis amans, spredo Capitaneatus mei  
spolio, quem illi Princeps offerebat, nullam habens  
institutæ ad se à Principe Legationis rationem, sed ve-  
terem legem ad exequutionem deducere ratus, con-  
cessit literas Treugarum, quarum tenor sequitur talis.

*Vladislaus Dominicus Dux in  
Ostrog & Zaslavv, Comes in Tarnovv,  
Palatinus Cracoviensis, Luceoriensis,  
Ropczyensis, &c. &c. Capitaneus.*

**S**ignificamus hinc literis Nostris, quibus interest universis, &  
singulis. Quod cum publicæ libertati interest, ut unusquisque  
Civium, ac præsertim insignis in Republicâ præminentiae Viri in  
pace

pace conserventur : ne vè indignatione aliquâ Majestatis supremæ,  
in discrimen vitæ, ac fortunarum deveniant: Pronide nos habentes  
compertū, Illustrissimo, ac Magnifico Hieronymo in Radziejowice  
Radziejowski ProCancellario Regni, Lomzensi, Vareensi, Ko-  
zieniecensi Solecensi, Bielsensi, Camionacensi, &c. &c. Capitaneo,  
ex occasione certarum offensarum Sacrae Reg. Maj. periculum im-  
minere, illumque insuper absentem, & insciū processu quodam in-  
usitato in Iudicio Illustris & Magnifici Marschalci Curie Regni  
immodatum, & pœnis quibusdam infamiae, & aliis criminalibus ag-  
gravatum esse, ita, ut his obstantibus de se justitiam dicere, &  
gratiam Sacrae Regiae Majestatis querere nequeat ; nisi authorita-  
te nostrâ Palatinali, cui id per leges Regni impositum, sublevetur.  
Eidem Illustrissimo & Magnifico ProCancellario Regni, illiusque  
universæ Familia literas securitatis ad spatiū duorum Mensium,  
adhaerendo legibus, Treugas nuncupatas damus, & concedimus,  
illumque unâ cum bonis eius in fidem nostram recepimus. Ita ut il-  
le sub beneficio literarum nostrarum liberè, & tuto ubique versetur,  
Innocentiam suam in his, in quibus se gravatum sentit, in Iudicio  
Tribunalito demonstret, de processuque, eo, & pœnis super illo  
obtentis, & de male obtento agat, experiatur, suamque innocentiam  
ibidem prosequatur. Interim gratiæ Regiae Majestatis reconciliari  
curet, eo tamen precustodito ; ut idem Illustrissimus & Magnus  
Procancellarius Regni, hisce literis nostris ad sui, bonorumque ac  
Officiū defensam utatur ; & non abutatur, seque pacatè gerat, ne-  
mini damna inferat ; easque literas nostras publicari, & ad Acta  
quævis porrigi quantotius curet, & ius ubique se tueatur. Fide publi-

ca, ad præmissa omnia mediane. Datæ Vievioræ residentiæ nostræ, Die vigesima septima Mensis Ianuarii. Anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo.

**H**is ergo Treugarum literis obtentis, profectus sum ad Iudicium Tribunalitum Regni Petrioviense, quod eo tempore dicebatur, cùm quo maximam habui ob occurrentes in Iudicio causas cōnexio-  
nem: non enim est novi emergentis, tales causas Iu-  
dicio Tribunalio judicare; neque inde confusio Iu-  
risdictionum sequitur, de quarum confusione si age-  
retur; diligenter considerandum esset, quis ejus con-  
fusionis author: Citavique ad Iudiciū Tribunalitum,  
comparticipes hujus Decreti, tum & Plenipotentes  
in decreto specificatos: sed Rex in ulteriorem mei  
oppressionem, mittit cum literis Castellanum Cul-  
mensem, Albertum Czerski, Reverendum Trzebic-  
kisuum Secretarium, & ob promissas Abbatias, con-  
scientiæ vocationisque immemorem, ea intentione,  
ut omnes singillatim Deputatos Iudices, tam sacerdo-  
tiales, quam Ecclesiasticos, illis seorsivas vacantias &  
bona Reipublicæ, his Abbatias, Episcopatus, & simi-  
lia promittendo præmia, abducerent à vero, & remit-  
tendam hanc meam Causam Regali Iudicio persuade-  
rent. Memores tamen juramenti Iudices Deputati,  
non precibus, non minis à rectitudine abducti sunt,

op-

oppressæque potius in me libertati prospiciendum esse  
arbitrati, Causam meam judicaverunt, & unum ex  
Plenipotentibus, qui (uti superius innui) fassus est se  
coactivo imperio, & summa potestate à meis partibus  
stetisse in Iudicio Marschalcali, ad carceres unius an-  
ni & sex septimanarum demandarunt, decreta super al-  
terum poenâ Infamiae: insuper Decretum illud Mar-  
schalcale, cassaverunt. de quo Acta Iudicij Tirkuna-  
litii testantur. Tum demum acrius inde commotus  
Rex, quamprimum ab executione Decretum orsus  
est, officiumque meum, quod advitalitio datum mihi  
est privilegio, ex inopinato, fremente statu Equestri  
alicui alteri contulit: volenti insuper contradicere.  
Nuntio cuidam Terrestri, quem honoris gratia nomi-  
no, Alexandro Zamoyski, Gladifero Siradiensi, facul-  
tatem vocis denegavit: insolito interim septus (cùm  
alii ipsius Prædecessores sinum Nobilium, pro primo  
securitatis suæ propugnaculo censerent) armorum ap-  
paratu. Per quod leges & constitutiones Reipublicæ  
violavit, quæ non majorem permittunt corporis sui cu-  
stodiæ Regi, quæ mille ducentorum Militum. Bo-  
na Regalia, quæ non ex illius beneficio, sed tūm à  
*SIGISMUNDO* Patre, tūm à *VLADISLAO*  
Fratre, Regibus Polonis, pro meritis Majorum, Pa-  
rentum, ac meis collata habui, & tot annis in domo  
mē extitere, ademit, omnibusque fortunis privavit;

quarum nonnullas eidem Marschalco Curiae Regni,  
qui contra me tale Decretum tulit, tanquam prædam  
largitus est, homini abjectissimo, cupido, avaro & Fra-  
tri Palatino Posnaniensi per omnia dissimili: alias aliis  
quanquam recusantibus dispertitus. Cæterum, cum  
avidus meæ cædis Princeps, siccarios & insidias mihi  
ubique disposeret: cùm supplicationes meas, & In-  
stantias Serenissimæ Reginæ, pietate & bonitate præ-  
ditæ Consortis suæ admittere nolle: Cum preces, &  
admonitiones Archiepiscopi Gnesnensis, Primatis  
Regni non prodeissent: cuius muneris est secundum le-  
ges nostras Regem in aliquo exorbitantem ter debere  
admonere; post ternam autem admonitionem si Rex  
se non corrigit, nullam illi subditi præstare tenentur  
obedientiam: cùm planctus filiorum meorum mino-  
rennium ad pedes ipsius procumbentium sperneretur:  
cùm amici mei pro hostibus censerentur: cum ille,  
qui meas literas Conventui Equestris ordinis reddidit,  
judicio destinaretur: consilium cepi gravescentibus  
in dies publicis malis Patriam deserendi; & lachrymis  
obortis exilium elegi. Invalido etiam Nuntiorum Ter-  
restrium auxilio; quorum nonnullos metu Princeps:  
præmiis alios abducere nitebatur, quominus mihi sub-  
sidium intercessionibus suis ferrent. Vnde turbata his  
diffidentiis Respublica coalescere non potuit, infecta-  
que ideo Comitia præterita habuit.

Ob.

Obtulere Principi & alii æmuli mei ingenium, sed  
parco nomini eorum, quos præstò affutura Numinis  
vindicta manet: Solius Instigatoris Regni Zytkiewicz,  
conditionis plebeiæ rustici, & subditi Palatini moderni  
Cracoviensis nequeo oblivisci; cui optimum quemq;  
jurgiis laceffere, & diversam virtutis interpretationem  
(dum Procurator esset ab ineunte ætate) afferre edo-  
cto, nulla compositis rebus quies, omne in turbido con-  
silium: qui licet talis sit: tamen pessimâ promotione  
Officium hoc, quod antea nonnisi integræ famæ viris  
conferebatur, adeptus est, habeturque præcipuus inter  
reliqua aulæ suæ ingenia consiliarius. ille probrofa de  
viris illustribus carmina factitat: ille ut potè servili ple-  
beioque ortus genere, absoluti dominii aviditatem, &  
subvertendæ libertatis suggesterit stratagemata: Ille  
Dantisci, quæ Vrbs maximè Reipublicæ proficua, &  
quæ huc usque in concordiâ, stabilique erga Regnum  
fide mansit, præsentes excivit dissensiones, & subtilitate  
perversoq; ingenii sui acumine tanta excitavit dissidia;  
ut Cives mutuis litibus implicati, profuso tot pecunia-  
rum sumptu, venalem etiam justitiam in aulâ nequeat  
adipisci, semperq; infectis rebus cum pessimo futuri (a-  
vertat Deus) tumultus præsagio domum revertantur:  
res autem quietas turbaveris facilius, quam turbatas  
composueris. Idem tamen injusti decreti machinator &  
auctor. quem ego tamen magnæ prudentiæ virum esse

opinabor, si læsam Principis reputationem redintegra-  
re, & tot periculis undique imminētibus, & extrema fa-  
ta minantibus, occurrere poterit.

Hoc igitur pro tantis togâ sagoq; in Republicam  
meritis præmium retuli; ut omnibus bonis privato,  
mihi (nisi liberalitate & compassione Serenissimæ Re-  
ginæ Sueciæ sublever) forsitan fame esset intereundum.  
Eane est laborum meorum merces? quorum plurimos,  
æque in Comitiis Generalibus, & Iudiciis Tribunalis-  
tiis, dum Marschalci & directoris fungerer officio: atq;  
in bellis, ipso Sacræ Regiæ Majestatis testimonio suscep-  
pi. Illenè præstitæ propensionis fructus est? quam illi  
& antequam Rex meus esset, testificatus sum: & postea  
in Electione tempore Interregni, ubi aliquot Palatina-  
tuum Generalis, & primus à toto Exercitu Legatus fui.  
Siccinè Rex, beneficium injuriâ honorem probro red-  
didisti? Verùm quia de meritis propriis parciorum esse  
convenit, alieno judicio relinquo, meritorum & præ-  
mii disparitatem.

Sed cùm velim hac Manifestatione omnes explere  
veritatis numeros, negare id non possum, quod post  
obitum supremi Generalis Regni vacantem, Castella-  
natum Cracoviensem (quæ est prima in Regno digni-  
tas) & Capitaneatum Lublinensem (quod utrumq; se-  
ptuaginta millia m flrenorum proventum excedit)  
Rex mihi conferebat, post conceptas contra me inju-  
stissimo

stissimo titulo diffidentias ,ut ProCancellariatus officium desererem. Quæ, ad proxima Comitia in deliberationem accepi , ut offendum Regis interea animum, contrariis exortæ suspicioni ejus effectibus placare possem,& ne similia de me scribantur, providebā: quæ Piascius in Chronica Gestorum in Polonia de Dęmbinio scripsit( qui omisso Cancellariatu,factioni Zborovianæ in Castellanatum Cracoviēsem cessit) his verbis: *Expugnato igitur ex Cancellariatu Dęmbinio : Talem ego mentionem veritus, majorem semper honesti, quam utilis rationem habens (cum officium Cancellariatus licet loco sit inferius : prærogativis autem omnibus aliis dignitatibus emineat ) magna certe deliberatione utendum erat: sed Rex, non expectatis Comitiis, vacantias dispergitus est , meque tali afflxit decreto.*

Patriæ carissimæ vices doleo, quod tantis calamitatibus turbinibus affligatur. quæ, quia huc usque fecit quod potuit, legem adimplevit: omnemque benè merredi gratitudinē speret. Verūm o dulcissima Patria, arte mea dirigitur oratio: Generositatē à majoribus relictam sequere , & libertatem in me oppressam vindica certatim , & defende: Videat Orbis, non adeò depressam esse ingenuitatem, præclarum libertatis thesaurum; ut nequeas illum in integro retinere, sed sciat te posse, tradere eundem seræ posteritati. Quid cunctaris? expurgiscere aliquando ex hoc letargo, spretis

omnibus privatis expectativis. Si enim somno ulterius  
indulseris, sene<sup>c</sup>tē tuę, & proximi occasus erit indicium  
quandō in multitudine regenda, plus pœna, quā obse-  
quium valet. ( Mihi itaque exulanti; hucq; & illuc vitæ  
in integro servandæ causa latitanti (cujus neq; apud  
Imperatorē Romanorum securus esse potui, propter  
Regiarum literarum, quibus me arestare jussit, prævē-  
tionem) ad Serenissimum Regnum Sveciæ convertere  
visum, nō ea intentione, velut detractores & malevoli  
interpretantur: quasi Reginis, armorum ansam exci-  
taturus. quippe dudum jam, ut perpetuam pacem ini-  
rent, exoptavi, ad quam Sereniss. quoque Reginam, &  
omnes Senatores optimè dispositos esse video: verū  
per Sereniss. Reginæ mediationem, Principis reconcili-  
ationem oratus. Utique affinis & consangvinea  
Sacræ Reg. Maj. cum qua firmissimam Sereniss. Rex  
colit amicitiam: cuius indicium, inter alia multa &  
quotidiana argumenta, illud quoq; est, quod Sereniss.  
Rex pro baptismo Filii sui, qui postea immaturo cessit  
fato, Serenissimam Reginam Sveciæ invitaret. Præ-  
sens igitur sors mea magnifica mihi est, quod huc sin-  
gulari Dei omnipotentis directione appulerim, ubi se-  
curior vitæ sim, & quod eam Reginam invenerim, quæ  
me regali bonitate & munificentia, ut Antiochus An-  
nibalem exulem, suscipere dignata. Et certè, quæ mihi  
major felicitas evenire potuit? quam hæc quod sub  
patro-

patrocinio tantæ Reginæ sum: cuius virtutum laudes  
antea deprædicatæ incredibiles mihi videbantur, nunc,  
ubi plura, quām dicebantur reperi inenarrabiles esse,  
non sine pœnitentia præteritæ incredulitatis profiteor.  
Paria enim clementia, & roboris animi ejus encomia  
exprimere, non mei ingenii est, & satiūs stupore vir-  
tutes tantas colere, silentiique veneratione. Quid pru-  
dentiam, & providum adversus gravia animum me-  
morem? quid de aliis virtutibus dicam, quæ ad immor-  
talitatem famæ conspirârunt? Fallitur ergo, quisquis  
me finistrum aliquid, cum tanta & tam prudenti Re-  
ginâ in Patriam machinari interpretatur. Cum hic  
non cœco impetu res fiant; sed profundo consilio, &  
authoritate, prout præterita ejus gesta indicant & de-  
monstrant. Aut melius foret, si a barbaris, infidelibus,  
aut juxta multorum opinionem a Cosacis auxilium  
implorarem? quod consilium in simili, ac tanta sui  
oppressione aliis sequeretur.

Cum igitur in Svecia commorer, & non irritum fo-  
re pacis nomen arbitrer, intimo affectu Patriæ opto  
foederis cum Regno Sveciæ æterni constitutionem, &  
omnium prætensionum, diffidentiarumque oblivio-  
nem: formidabiles namque essent, cui libet hosti con-  
juncti Regnorum animi, & quodlibet ingruens peri-  
culum facile arceretur. Aut non esset nobis proficua,  
hoc deterrimo rerum nostrarum Statu Regni Svetici  
ami-

amicitia? si Regno nostro continuis domestici, & externi belli sumptibus fesso, tantis, & tam victricibus, quæ nunc otiantur, succurrerent armis: Nostri quoque muneric esset, tempore necessitatis, illis simile auxilium præstare. quæ omnia breviter, ex meo debito in Patriam amore innuendum esse duxi.

Constitueram in animo privatis meis literis tam ad Senatum, quam ad statum Equestrem dolorem meum in benevolum sinum deponere, fraternumq; auxilium implorare: sed cum exemplum jactati illius famuli à Principe, de quo superius scripsi, in præteritis comitiis præ oculis versetur, potius visum typo hæc omnia breviter, sed simplici veritatis stylo intimare. Rogatos esse velim, quemcunq; male factorum conscientia exagitabit, ne hac veritatè, quæ celari non poterat, irritentur: Vereor tamen, ut hoc consequi possim. Proprium enim est humani generis, odisse quem læseris. Si ergò invenietur talis Zoilus, qui velit rescribere, rescribat sanè, dummodò stylo veritatis, & in omnibus huic scripto assentietur: Si vero criminacionibus & convitiis laborabit, nec pigebit pari stylo, sed dispari virtute respondere, & illa, quæ ex multis respectibus, celata detegere, & demonstrare.